Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 981
Quelle:
Copyright:

lebatis &c. In Edit. *Maur. Vol.* I. T. II. *col.* 583. rectius *Liber seu Tractatus* audit.

XII. *fol.* 148. praemisso tractandorum conspectu *Incipit liber Abbatis Clareuallensis de duodecim gradibus humilitatis.* Non male adderetur: *et superbiae;* haec enim *Partis* II. argumentum est. Init: *Rogasti me frater Gott.* (fride) *quatenus ea que de gradibus* &c. Ut *l. cit. col.* 559. Lectio Codicis satis proba.

XIII. *fol.* 168. *Epistola Abbatis Clareuallis ad abbatem Columbensem.* Et post illam: *Incipit liber de precepto et dispensatione.* Abbatem illum volunt *Rogerium Mauriani*, quorum *Admonitionem* huic Tractatui praemissam *l. cit. col.* 495. si lubet, adi. Epistolae initium est: *Rescriptum meum ad epistolas duorum carnotensium quorundam monachorum* &c. To *duorum* non habuerunt in suis Editores. Cetera omnia integra.

XIV. *fol.* 188. p. 2. *Sermones Ejusdem* II. quorum prior: *Omnes nobis causamur deesse gratiam* &c. Alter: *Magna est super nos dilectissimi magna ualde* &c. Uterque inter *Sermones de Diversis* T. III. ille *n.* XVII. *col.* 1118. hic vero *n.* XXVII. *col.* 1139. Ille finit in verbis: *contemplacionis proficere gradum*, omissa adclamatione: *Eia fratres* &c. hic integer est.

CCCCXXI.

U.99 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 71. 4. eleganter exaratus, Fronte auro coloribusque et *Math. Corvini Hung.* Regis Insignibus ornatus, collabescente hujus Bibliotheca ad *J. Alex. Brassicanum*, nescio quomodo, cum aliis pluribus devolutus, et tandem emtus ab *Job. Fabro* Antistite nostro continet: I. D. *Bernardi Claraevall.* Abbatis Libros V. *de Consideratione ad Eugenium* III. Pont. Rom. suum olim Alumnum, sine Capitum distinctione, Libris tantum litera quadrata picturata indicatis. Initium: *Subit animum dictare aliquid, quod te papa beatissime Eugeni uel edificet uel delectet uel consoletur.* &c. Conditio textus est infra editum T. II. edit. *Maur. col.* 407. Sunt tamen, quae expendi merentur. Ita statim ab initio lego: *et si ambules super pennas ventorum, subderis tamen affectui;* ubi Edita: *nec si ambules super pennas ventorum, subduceris affectui* &c. Titulus operi nullus.

II. *fol.* 44. pariter absque titulo Opusculum, quod in *cit. Bernhardi* edit. T. V. *col.* 319. *Meditationes piissimae de Cognitione humanae Conditionis*, in *Hugonis* vero *de S. Victore* Operibus *Rothom.* 1648. f. T. II. p. 132. *Liber I. de Anima* inscribitur. Indivisum decurrit, et incipit: *Multi multa sciunt et se ipsos nesciunt* &c. In Codicibus frequenter *Bernhardi* nomen, et titulum *de interiori Homine* praefert; *Mabillonio* tamen spurium visum est de caussis, quas praevie movet. Neque *Rothomagenses* pertinaciter *Hugoni* insistunt. Exemplum nostrum ab Editis saepe variat, plerumque in pejus.